Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1842)

Lucy 1542

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ Februarii.

M. JACOBO SOUHAIT, Doctore Medico, Præside.

An solus Medicus θυέσμανης?

CORPUS animatum, textura singularis exmultifariam contortis canalibus constituta, fluidum peculiare, ex diversi generis humoribus conflatum, machina aeri innatans circompositio, à quo non resarcitur minus, quam ab iis quæ tellus fœcunda suppeditat. Hujus generationem, (melius dicas evolutionem) multa juvant, infirmant, accelerant, tardant, invertunt, evertunt, speciem nunquam mutant penitùs. Activum dicas in eo quod fluidum est, passivum appelles quod solidum. Calidum innatum, humidum radicale, vitam ipsam non aliud reputes, quam solidarum partium integritatem, fluidarum appulsum, utrarumque posituram susciendæ materiæ æthereæ idoneam; hujus ope sic promoventur liquores, ut in suas quique sedes per destinatas vias debito tempore deriventur, animati corporis quas vocant functiones, adimpleturi. In corpore animato fluidum magni nominis sanguis, à chylo originem ducens, quod mediante fermentatione aptum fit in varia facescere corporis incernicula, varia jam nomina sortiturum, spiritus, lymphæ, bilis, seminis, urinæ: hæc largus à sanguinis fonte amnis dimanans suo tempore per proprios sibi tubulos in vesicam devolvendus.

URINA, excrementum nauseantium nares nidore suo convellens, at re ipsa liquor maximæ ad vitam necessitatis. Hujus primordia potulenta quævis dissolvendis in ventriculo cibis solidioribus apprimè idonea, transmittendæ in venas & arterias crassiorum alimentorum polentæ summè apta, fundendis & devehendis foras salibus superfluis destinata. Quorsum autem in corpore animato sales superflui? Horum videlicet magnam continent copiam alimenta quævis, & majorem quam quæ sit in partium substantiam cessura, utilem tamen ad excitandas fermentationes, & viscidiorum humorum gluten dividendum; quod munus ubi impletum stationibus suis magno examine erumpunt sales, & sero jam inutili immixti, nec non alimenti portionem aliquam secum auferentes, per patentes renum papillas in ureteres vesicamque devolvuntur. An autem quæ largè ab assumpto potu diuretico fluit urina prolixam vasorum lacteorum & ductûs chyliferi viam sequitur? Verisimile quidem eam per venarum mesaraïcarum oscula deduci ad cor, hinc ad arterias emulgentes. Si quis brevius iter commonstrarit, sit nobis magnus Apollo. Interim statuimus urinam ad massam sanguinis per dictas vias deportatam plerasque, imo & aliquando omnes corporis regiones adire, & cum omnibus humoribus commisceri. Qui prædictas vias & partes non noverit, quem lateat omnium humorum natura peculiaris, eum nequaquam existimes posse urinarum naturam perspectam habere.

URINAM ad plerasque atque adeo & ad omnes corporis partes appellere prius quam à chyli sanguinisque massa secernatur, perperam facis si dubitas. Volvitur etenim quaquaversum condimentum illud, illa succorum variorum mixtura sanguinis nomine insignita, donec singuli quibus constat succi, coctionis perfectionisque certum gradum sensim adepti, à suis quique incerniculis inter-transeundum sorbeantur, novis ex integro massam sanguinis sub specie chyli ingredientibus, priorumque loca occupantibus restaurandi. Chylus(cujus portionem urina constituit non minimam) quod omnem corporis peripheriam visat, multa probant. A chylo ne dicam nutriri partes, cerebrum saltem petit ille, & sæpe consopit, ubi à pastu in sanguinis alveum labi incipit copiosius, omnes arterias venasque distendit. Cum sanguinis torrente rapitur chylus, cum chylo urina; felici quidem successu si non hæreat, infausto, si coerceatur. Quoties redundantis urinæ copiâ cerebrum tentatum, convulsum, aut lethaliter sopitum est; quoties & in ipsum thoracem suspensa urinæ scaturigo remeavit, lethales excitavit dispnœas, & gravi aquarum torpentem pondere spiritum suffocavit. Quod autem urinæ suspendatur effluxus, ne semper credas renum aut vesicæ aut partium adjacentium vitio fieri. Est aliquando omnimoda urinæ suppressio, quæ chylo aut sanguini tribuenda sit, quatenus integrantes eorum partes glutine quodam inter se connexæ hærent, & patentium licet pororum ostia præterfluunt. Ex his colliges urinam cum solidis fluidisque corporis animati partibus magnum habere commercium, dum illas alluit, his immixta est & involuta, quo quidem fieri non potest, quin multa earumdem partium vestigia repræsentet iis duntaxat dignoscenda, qui physices dogmatis imbuti, qui anatomiæ chymiæque auxilio partium tam solidarum quam liquidarum notitiam assecuti, qui longo ægros invisendi usu varios earumdem partium status diligenter speculati sunt.

QUOD Philosophicè minus quam Poeticè cecinit Lucretius *effigies tenuesque figuras mittier ab rebus summo de cortice rerum*: si veritati consonum, magno equidem adjumento foret ad stabiliendam eorum opinionem, qui in urinis, omnium quæ corpori insunt characteres imaginesque expressas, asserunt contineri: prorsus ut uno quasi intuitu quid contra, quid secundum naturam sit, ab idiotis dignosci valeat. Jam suis involutus membranis fœtus, in urinis volitabit, & certa imagine sexum suum, ætatem, numerumque demonstrabit. Jam indubitata in iis apparebunt aut sibi constantis aut detritæ virginitatis indicia. Jam latens apostema sui dabit per illam effigiem vestigium, quod nullo prius symptomate sese prodiderat: quid quod & ingenii modus, & mores, & moriendi tempus, & quæ multa, aut in fatis, aut in ipso hominis pectore abstrusa latent, prodibunt in apertissimam lucem, & sese in matulis præbebunt conspicienda. Quæ quidem omnia quam absurdum est arbitrari posse idiotis innotescere. Ecquis satis obtusa mente, ut credat editorum fœtuum, imo edendorum deinceps numerum ab illis vatibus posse præcini, qui ne noverunt quidem quid sit fœtus, quomodo formetur, unde & per quas vias delabatur in uterum? Ecquis satis credulus illis dum asserunt lienem, jecur, renes affectos esse, qui ne objecti quidem ante oculos lienis aut jecoris manibus palpati, naturam, dotes, statum salubrem aut insalubrem possint discriminare.

URINARUM naturam tibi vis innotescere? neglige illas figurarum effigierumque nugas, sequere novam sanioremque de rebus physicis philosophandi methodum, à Chymicorum fornacibus facem ne graveris mutuari; theatra anatomica frequens adi, Medicorum tam priscorum quam recentiorum scripta lege, proscribe tamen usurpatam olim renum attractionem, abjice tyrannicè regnantia hodie fermenta, & passim à quibusdam in omnes partes, ac præcipue in renes per fas nefasque intrusa. Id si feceris multas, ne dicam innumeras, erues urinarum differentias. Non jam mysteriis præstigiisve ignorantiam tuam rusticus vafer involves; non cœcus priscorum assecla functionis hepaticæ extinctionem, non vitiatam renum attractionem crepabis, sed pro varia principiorum quibus urina constat indole, varios suspicaberis partium status, quos adducta aliorum signorum pathognomonica cohorte, quasi ad vivum depictos habebis. Jam ex sulphure minus aut nimis cocto humorum cruditatem aut adustionem colliges, variorum symptomatum à sulphure pendentium causas inferes. Sales quos diversæ naturæ novit ars spagyrica, suum etiam conferent symbolum; suum & ipsa licet vulgo effœta audiat terra. Colorum genuinam assecutus causam, non facies pro musca elephantum. Cavebis, ne ibi periculum grave vaticineris, ubi levior causa urinarum faciem in deterius mutavit. Si quid dubiè, quod sæpe fit, urina repræsentat; solvet dubium omnium corporis partium sedula & diligens lustratio, habita ad sexum, ætatem, vivendi modum, loca, tempora, consideratio. Non si quis corpore gracili, infirma valetudine urinæ tenuis & lympidæ largam copiam fundat, continuo vergere ad marasmum pronunciabis, sed si cætera bellè cedant, felix recuperandæ sanitatis tempus asseres adventare. Quisquis est igitur sana mente, incorruptoque judicio veritatis amans, agnoscat ad Medicum pertinere urinarum notitiam, qua sese instructum merito, modeste tamen profitetur, fugere prorsus idiotas & rusticos, qui temerè & impudenter, id quod præstare nequaquam possunt, pollicentur.

Ergo solus Medicus θυέσμανης.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Lemery.
M. Petrus le Tonnellier.
M. Jacobus Minot serenissimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.
M. Joannes Gaillard.
M. Matthæus-Dionysius Fournier.
M. Carolus Thuillier.
M. Claudius Guerin, Scholarum Professor.
M. Ludovicus Morin.
M. Petrus Lombard.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS BERGER, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1699.